

quopiam olim adscriptum semper in memoria habeant.

« Steh still, o Mensch, diess Grabbeschau,
Es ligt darinn ein edle Frau,
Sie ware reich, und wol gestalt,
Darum sie liebten Jung und Alt,
Tetz hat die schöne Gestalt ein End,
Tetz ist all Lieb, und Gunst zerrent.
Ach trau der eitten Schonheit nit,
Sonst hast mit Fleisch ein ewigen Stritt.
Vor allem lieb der Seelen Gestalt,
Die ist allein, die nit veralt. »

Tentatio tertia.

Tentatio tertia ex divitiis oritur, ob quas non pauci iterum efferuntur, et dicunt: Domine, gratias tibi ago, quod non sim, sicut ceteri hominum; sed et his non difficile erit alas præscindere, si pariter duas veritates bene perpendant. Prima est, quod divitiarum harum non sint domini, sed divitiarum tantum, uti clare S. Job. c. i. insinuavit, dum omnibus divitiis ablatis dixit: *Dominus dedit, Dominus abstulit*; quis autem non rideat, si æconomus, quæstor, aut thesaurarius Regis ob divitias Regis suæ curæ concreditas, de quibus severissimam olim rationem pendere debet, supra alios extollere, se vellet; vere non superbiendi sed timendi causas habet talis, maxime si terribilem illam S. Jacobi c. v. sententiam ponderare velit: « Agite nunc, divites, plorante ululantes in miseris vestris, quæ advenient vobis; divitiæ vestre putrefactæ sunt, et vestimenta vestra a tineis comesta sunt, aurum et argentum vestrum æruginavit, et ærugo eorum in testimonium vobis erit, et manducabit carnes vestras, sicut ignis. Theaurizastis vobis iram in novissimis diebus; tunc nempe, quando dicitur: stulte, hac nocte animam tuam repentem a te, et quæ parasti, cujus erunt? » Tunc enim verificabitur, quod Eccl. xli. prædicitur: *O mors, quam amara est memoria tua homini habenti pacem in substantiis suis!* Altera veritas est, quod, qui ejusmodi divitias possident, in manifesto salutis sue amittendæ periculo versentur, uti jam pridem Servator ipse indicavit, dum dixit MATT. XIX. *Amen dico vobis, quia dives difficile intrabit in regnum cælorum. Et iterum dico vobis: facilius est camelum per foramen acus transire, quam dicitem in-*

trare in regnum cælorum. Quis non exhorreat ad ejusmodi veritatem ab ipso veritatis Auctore prolatam? Quis efferatur et superbiat propterea, quod sibi magis, quam alteri via ad felicitatem supremam difficilis sit facta, quisquis ergo tali tentatione pulsatur, saluberrimum S. Pauli monitum sibi applicet, quod per Timoth. c. vi. divitiis suggeri voluit: « Divitiis hujus sæculi præcipe non sublime sapere, neque sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, qui præstat nobis omnia abunde ad fruendum, bene agere divites fieri in bonis operibus, facile tribuere, communicare, thesaurizare sibi fundamentum bonum in futurum, ut apprehendant vitam æternam. »

Tentatio quarta.

Tentatio quarta ex scientiis et artibus oritur, quæ sunt aptissimum nutrimentum superbiæ; hinc merito dixit Apostolus, scientiam præ reliquis inflare, facereque, ut plurimi dicant, non sum, sicuti ceteri hominum; sed neque is difficile erit alas suas præscindere, si duo bene perpendant. Primo illam S. Pauli sententiam I. ad Cor. iv. *Quid habes, quod non accepisti? si autem accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis?* An forte juste gloriatur puer de pulchra scriptura, in qua formanda manum ei magister duxit? Aut certe superbiat Concionator de pulchra concione habita, quam integram ex libro alieno descriptam declamavit? Annon autem Deus adhuc operatur omnia in omnibus, et manum ad quævis opera ducit? Annon ex illo tantquam ex universali libro omnis doctorum scientia deprompta est? Quid ergo vane gloriantur? Certe non modo non efforci, sed potius humiliari debent, qui scientiis ejusmodi sunt præditi, ut enim sol radios suos plerumque in casas tenues et rimosas magis spargit, magisque eas illuminat, ita Deus peccatoribus interdum majorem scientiam communicat, ut magis rei sint et puniantur, si lumine tali male abutantur; hinc certe Thom. Kemp. l. I. c. 2. « Noli extolli de ulla arte aut scientia; sed potius time de data notitia. » Secundo perpendant tales, quod tales artes et scientiæ sint mera instrumenta, ad proinde sicut chirurgum non instrumenta, etsi aurea vel argentea sint, sed usus eorum peritus commendat; ita nec doctorem aux artificem sua scientia vel ars

laude dignum faciat; nisi quatenus eas ad Deum amandum gloriamque illius et salutem promovendam usurpat. Id quod eleganter S. Paulus I. Corith. xiii. insinuavit, dum dixit: *Si linguas hominum loquar et Angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum sicut æs sonans et cymbalum tinniens*, quasi dicat, sicut cymbalum, ad elevationem Hostiæ in Missa pulsari solitum licet plerumque excitet ad pectus percutiendum, variosque affectus bonos eliciendos, nec tamen propterea aliquid laude dignum egisse censetur; ita nec Doctor, nec Concionator, si alios ad Deum cognoscendum et amandum excitent, nisi et ipsi faciant, ad quod hortantur, laude digni censendi sunt. Hinc præclare S. Aug. l. XII. confessus est. « Infelix ille homo, qui scit omnia illa, se autem nescit; beatus vero, qui scit, etsi omnia illa nesciat: qui vero se et illa novit, non propter illa, sed propter se solum beatus est. » Quisquis ergo simili tentatione pulsatur, sibi applicet, quod olim S. Dorotheus discipulo suo Dositheo ad vanam gloriam ex eo, quod sedulo infirmis inserviret, capiendam incitatio dixit: « Mi Dosithee, tu bonus quidem es infirmarius, sed non propterea bonus Religiosus. » Sic ergo et isti sibi dicant: « Tu quidem es bonus doctor, magister, pictor, sculptor, etc. non tamen propterea bonus Christianus. » Certe adventiente die judicii, inquit pius Scriptor l. I. c. ii. « Non quæretur a nobis, quid legimus, sed quid fecerimus; sed quam bene viximus, si ergo vis aliquid utiliter scire et discere, ama nesciri et pro nihilo reputari; hæc est altissima et utilissima lectio, sui ipsius vera cognitio et despectio. » Dic ergo potius cum S. Paulo: Ego non judicavi, me scire aliquid inter vos, nisi Jesum Christum et hunc crucifixum. Hunc pro magistro elige, ab hoc veram scientiam cognoscendi et amandi Deum discite; vere enim « bene doctus est, qui Dei voluntatem facit, et suam voluntatem relinquit, » ait iterum pius Asceta.

Tentatio Quinta.

Tentatio quinta ex vitæ sanctitate seu bonis operibus nascitur, quæ quidem tanto subtilior est, quanto honestior titulus per illa offerri videtur ad gloriam; si enim, ut supra dictum est, virtus mater gloriæ est, annon juste videtur gloriari posse, qui variis

virtutibus præditum se advertit? Annon jure dicere poterit: *Deus gratias tibi ago, quod non sim, sicut ceteri hominum?* Minime, et his profecto alas præscindendæ sunt, id quod facie erit, si considerare velint, quam pauca opera eorum bona futura sint, si ad libram divinæ justitiæ examinentur; nimirum omnes fateri debemus illud Isaïæ c. lxi. *Facti sumus immundi omnes nos, et quasi panus menstruate universæ justitiæ nostræ*: omnes fateri debemus, vitam nostram similem esse argumento pueri, nam forte constructionem bonam in argumento, reliqua omnia plena solœcismis et erroribus habentis, aut togæ læeræ mendici pulchrum aliquem centonem assutum gerentis. Hinc merito S. Job c. ix. dicebat: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti*: magis vero adhuc alas æstimationis propriæ tales demittent, si perpendant, quam nihil sit omne, quod agunt, si cum debito apud Deum contracto comparetur, quis enim non stultissimum diceret eum, qui multa millia millionum aureorum deberet alicui, et de his aliquando obolum solvisset, gloriari hæc solutio aude-ret? Atqui idem facit, quisquis ob opera quantumcumque multa et excellentia gloriatur; nam minor est inter talia opera et beneficia Dei comparatio, quam inter obolum et multa millia millionum, hinc recte Christus Luc. xvii. dixit: *Cum feceritis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite: Servi inutilis sumus, quod debuimus facere, fecimus.*

Epilogus.

Quare colligamus denique omnes doctrinas et saluberrimam Dei ipsius admonitionem audiamus per Jerem. dicentem c. iii. *Non gloriatur sapiens in sapientia sua, non gloriatur fortis in fortitudine sua, et non gloriatur dives in divitiis suis, sed in hoc gloriatur, qui gloriatur, scire et nosse me.* Dicamus proinde cum S. Paulo ad Gal. vi. *Absit mihi gloriari, nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi.* Dicamus cum S. Davide II. Reg. vi. *Ludam et vitiorum flam, plus quam factus sum, et ero humilis in oculis meis;* sic qui se humiliat, exaltabitur, audietque: *Amice ascende superius, ad caelum nempe, ubi tanto honorabitur amplius, quando vitiorum hic in suis et aliorum oculis fuerit, humilibusque promissam requiem per totam æternitatem participabit.* Amen.

Exemplar Nonum.

In quo ostenditur, quomodo materia aliqua controversistica in concione tractari debeat.

Thema.

Videntes autem stellam gavisus sunt gaudium magno. MATTH. II.

Scopus.

Ostendenda motiva fidei Catholicae, mediaeque ad eam conservandam offerenda.

Syllogismus principalis.

Sancti tres Reges videntes stellam valde gavisus sunt, eamque prompte sequebantur, quia eos ad Christum ducebat; atqui similis est stella fides Catholica; ergo Catholici quique, quibus ea apparuit, valde gaudere, eamque prompte sequi debent.

EXORDIUM.

Laudabilis apud quosdam Religiosos mos est, ut singulis annis semel vel saepius renovationem quamdam votorum instituant, idque ob tres potissimum fines. Primo ut hac ratione memoriam beneficii per vocationem ad religiosum statum accepti renovent. Secundo ut ad gratias pro eodem beneficio referendas se exstimulent. Tertio ut in concepto proposito se firment, dispiciantque, quomodo vocationem suam per opera convenientia, certam facere possint. Hunc morem sancta Mater Ecclesia optat ab omnibus Christianis observari, et quidem hodierno potissimum die, in quo gentes ad agnitionem veri luminis vocatae sunt, atque adeo catholica Fides initium sumpsit. Eum in finem cum tanta solemnitate festum hoc celebrat, ut vix ullo in alio similem adhibeat, utpote cujus octavam nonnisi per summa festa interrumpi sinit; ut ergo tam pio et sancto dilectissimae Matris desiderio cum debita reverentia et subiectione satisficiamus, et hodiernum diem cum spirituali gaudio celebrantes, fidei nostrae professionem alacri gratoque animo renovemus,

ostendam in praesenti concione, quam vere dici possit, et nobis stellam apparuisse, per quam vere ad Christum credendum, adorandum, imitandum et amandum ducamur. Quomodo proinde hanc stellam sequi et conservare deinceps debeamus, vos interea non aures tantum mihi benevolae porrigite, sed mentis etiam oculum ad tantam stellae pulchritudinem contuemdam ultro aperite, et convertite.

Pars prima.

Atque ut a prima concionis parte incipiam, et fidei nostrae cum stella quae Magis apparuit, similitudinem ostendam, id haud difficile mihi accidit, si proprietates, quas stella haec habuit, accuratius ponderemus, et quam vere etiam in nostra fide reperiantur, luculenter demonstremus. Quatuor autem praecipue in stella Magorum considerandas proprietates invenio.

Prima est, quod *unica* fuerit; eadem enim, quae ipsos ex patria exciverat, eadem, inquam, postquam ab Herode diicerentur, iterum illis apparuit, et ad Christum perduxit, haec proprietates etiam pulchre fidei nostrae convenit, ut eleganter S. Leo Magnus more suo Sect. iv. in Nativitate Domini ostendit his verbis: «Magnum praesidium est, fides integra, fides vera, in qua nec augeri ab ullo quidquam, nec minui potest, quia nisi una est, fides non est, dicente Apostolo ad Ephesios iv. Unus Deus, una fides, unum Baptisma, unus Dominus et Pater omnium, qui super omnes, et per omnia, et in omnibus nobis, huic unitati, dilectissimi, inconvulsis mentibus inhaerete, et in hoc omnem sectantini sanctitatem, et in hac praecipue Domini inservite, quia sine fide impossibile est placere Deo, et nihil sine illa sanctum, nihil castum, nihil vivum; justus enim ex fide vivit.» Hanc unitatem etiam ipse sponsus Cant. v. in sponsa sua, quae Ecclesiam significat, laudavit, dum dixit: *Una est columba mea, perfecta mea*; et merito haec unitas pro primario signo verae fidei assignatur, quia cum fides sit universalis regula, juxta quam dirigere viam, id est, actiones suas debent Christiani, merito unam et indivisibilem esse oportet, cum veritas in indivisibile consistat. Jam vero hanc unitatem fidei catholicae convenire usque adeo clarum est, ut nemo, nisi qui pertinaciter resistere veritati veli, negare id

possit; percurrat sane quis omnes orbis partes Europam, Asiam, Africam, Americam, et ubique eosdem fidei articulos a Doctoribus Ecclesiae tradi et explicari deprehendet, cum tamen apud Haereticos usque adeo dissentiant in substantialibus, ut in eadem non dicam provincia, sed etiam civitate discrepantes doctrinae circa Sacramentorum numerum aliasque similes doctrinas reperiantur. Neque obstat, quod etiam inter nostros Doctores magna interdum circa Theologicas doctrinas discordia invenitur; nam etsi hoc non negemus, nunquam tamen haec differentia circa articulos fidei versatur, ubi enim de his agitur, mox oculos mentis claudunt, et cum debita reverentia iudicium suum definitionibus Ecclesiae, utpote per Spiritum S. illustratae subjiciunt, uti passim praefixae in libris protestationes testantur.

Secunda proprietates erat stellae, quod fuerit valde *splendida et fulgens*, non quocumque splendore, sed Sancto et efficaci, qui propterea ita permovit tres Sanctos Reges, ut sine mora patriam suosque desererent, et stellam hanc ad Christum ducentem sequerentur, per quam quidem proprietatem pulchre altera fidei verae proprietates, scilicet splendor sanctitatis adumbratur, quae sane Sanctitas usque adeo necessaria est ad veram fidem, ut sine ea neutiquam fidei divinae rationem et nomenclaturam mereatur, cum enim fides in hac vita in locum luminis gloriae substituat, atque adeo potissimum fit instrumentum, quo homo ad Deum velut ultimum suum finem ex toto corde amandum dirigitur et excitatur, hic amor autem perfecte haberi non possit, nisi homo per Sanctitatem totus Dei obsequio consecratur, et ab omnibus quidem, quae Deo displicent studiose absterneatur, ea vero, quae eidem placent, accurate exequatur, facile apparet, eam dumtaxat fidem pro vera cognoscendam esse, quae, quantum est ex se, homines ad summam sanctitatem perducit, et ad Christum, qui ad eam docendam in hunc mundum missus est, perfecte imitandum impellit; hoc autem nostram fidem praecipue facere, quis ignorat? Ubi enim major cum Deo familiaritas, accuratius perfectionis studium, strictior paupertatis, castitatis, et obedientiae observatio, generosior in adversis constantia, et, ut verbo omnia absolvam, perfectior Christi imitatio reperitur, quam in nostra fide ac religione? E contrario vero quis sanctam fidem dicat

adversariorum, quae in solo fere interno affectu consistens non modo ad opera sancta non impellit, sed ea omnia ut panno menstruato similia detestatur? Neque dicere possunt adversarii, suam fidem rectius huic stellae comparari, eo quod nullo certius ad Christum ducat, utpote quem solum mediatorem ipsi agnoscunt, nam hic, vel ipso respondebit, MATTH. II. dicens: *Non omnis, qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum.* Nimirum, ut bene notat Apostolus ad Titum c. i. *Conflentur se nosse Deum et Christum, factis autem negant, cum sint abominati et incredibiles, et ad omne opus bonum reprobi.* Quomodo enim imaginari possumus, eos in Christum credere, eumque amare, qui vitam ejus sanctissimam et virtutes ab eo nobis in exemplum relictas tam parvi faciunt, et imitari renuntiant? Aliter sane nos S. Joannes dilectissimi ejus discipulus informavit. I. JOAN. II. dicens: *Qui dicit se in Christo manere, debet, sicut ille ambulavit, et ipse ambulare.*

Tertia proprietates stellae Magorum erat, quod *miraculose fuerit producta*; neque enim fuit ordinaria quaedam stella neque Angelus quispian in stellae forma apparens, sed vera stella a Deo de novo unice ad hunc finem creata, ut Magos mirabiliter ad prosepse perduceret, quae quidem proprietates iterum pulchre demonstrat nostram fidem illi stellae similem esse, et ad Christum ducere, utpote cui proprium quoddam modo sit, miraculosam esse, seu miraculis confirmari, cujus quidem necessitatis ratio vel ex ipsa natura locutionis seu revelationis desumitur, haec enim cum obscura sit, atque adeo in se non cognoscat eviderent, merito debeamus infallibile quoddam in eo iudicium reperire, per quod cognosceremus, eam non ab homine, sed ab ipso Deo provenire, atque adeo necesse erat, ut homini vel alteri locutionem hanc Dei proponenti talibus operibus assisteret, quae a nulla pura creatura patrari possunt, ex quibus tanquam Dei sigillo locutio illius cognosceretur, quae quidem opera miracula vocamus, de quibus proinde ipse Christus JOAN. X. dixit: *Si mihi non vultis credere, operibus meis credite, utpote quae sunt manifesta testimonium Patris caelestis per me loquentis, nam ut JOAN. I. dixit: Ego majus habeo testimonium Joanne, opera scilicet, quae dedit Pater, ut conficiam; Ipsa opera, quae ego facio, testimonium perhibent de me, quia Pater misit me;*

sed et ipsa experientia satis confirmat, ubicumque fides promulgata est, eam ab initio miraculorum auxilio fuisse plantatam, uti nostris adhuc temporibus in novo orbe videre est, id quod adeo clarum iudicatur; ut ipse etiam Lutherus Tomo II. Witt. folio 245. § 1. id fatetur, dicens, instrumentum esse populum, ut suos verbi Prædicatorum querat, quis te misit? Ubi sunt tuæ litteræ et sigilla? Ubi miracula, quæ te legitime missum testantur? Neque recte dicunt adversarii, non amplius necessaria esse miracula, cum fides nostra satis firmiter iam radicata sit; nam etsi non sint adeo necessaria, ut quisvis, qui eam prædicat, maxime apud eos, qui iam bene instructi sunt, ea facere debeat, sunt tamen ita necessaria, ut Deus semper adhuc eam quodammodo foveat et conservet per illa, sicut etiam bene radicatis arboribus non quidem opus est quotidiana irrigatione, necessaria tamen est pluvia suo tempore mittenda, ne defectu succi evarescant; cum ergo in sola nostra Catholica fide hæc irrigatio per continuatam miraculorum patratiorem usque ad hæc horam reperitur, nulla autem ab illis Hæreticis patrata conspiciamus, annon merito nobis potius, quam illis veræ fidei stellam illuxisse credamus, et gratulemur? Neque dicere possunt adversarii multa apud nos falsa miracula pro veris vendi, nam neque nos hoc negamus; neque tamen inde inferitur recte, nulla vera miracula reperiri aut patrari, cum hæc ab illis per personarum ea patrantium sanctitatem, intentionis rectitudinem, constantem durabilitatem, aliasque similes circumstantias, per quas Christi et Apostolorum miracula vera fuisse cognovimus, facile distinguere valeamus.

Quarta tandem proprietas stelle Magorum erat, quod de celo missa sit; inde enim SS. tres Magi collegerunt, se ad eam sequendam vocari; quæ proprietas ante omnes ostendit, et probat, fidem nostram huic stelle similem esse, cum enim ex una parte missio usque adeo necessaria sit ad Evangelii prædicationem, ut ipse Dei Filius hoc officium suscipere noluerit, nisi prius a Spiritu Sancto super eum apparente ad illud instructus, et a Patre æterno dicente: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi bene placuit, ipsum audite*: testimonium accepisset: et ipse etiam Lutherus in Ps. LXXXII. Them. II. fol. 440. dicat: « Alle Pfarrer, und Obrigkeiten sollen fleissig aufmerken,

und dieser Sach halten ihre Anhorer emsig ermahnen, dats sie die Prediger, so sich selbsthen eindringen, als Maukopf und gewisse Botten des Teuffels vermayden. »

Ex altera vero parte apud nos pulcherrimo ordine ab ipsis usque Apostolis continua successio Pontificum et Episcoporum ostendi queat, non autem apud Hæreticos, uti fuse ostendunt controversistæ, annon merito iterum nostram fidem pro vera stella ad Christum perducente agnoscamus, et gaudeamus?

Pars Secunda.

Ita sane. Credo ergo vos agnoscere tandem vocationis vestræ magnitudinem, sed quid ex parte vestra requiratur, nunc scire forsitan desideratis? Ut ergo huic desiderio respondeam, aio breviter, tria a vobis requiri. Primo ut summas et constantes pro beneficio hoc gratias tanto frequentius deinceps agatis, quanto clarius illius magnitudinem modo cognovistis; quid enim mei Auditores, diceretis, si inter multa millia cæcorum in uno loco congregatorum et vos pariter cæci consisteretis, et inter tot millia nunc dumtaxat vel alterum Deus a sua cæcitate curasset, annon summum sibi et inestimabile beneficium collatum talis censeret? Annon ad summas ei gratias agendas summe obligatum se fateretur? Atqui simile vobis beneficium modo obtigit, dum intra tot millia Hæreticorum vobis ante omnes illos verum fidei lumen illucescere fecit, annon gratias tanto ampliores ageretis, quanto major est misera cæcitas animæ, quam corporis, et quanto graviora sunt pericula et damna, in quæ ista præcipitat? Annon ergo vobis pariter ac Tobie a cæcitate liberato; et quomodo gratum se exhibere posset, a S. Raphaelo scire cupienti, dictum putabitis: *Benedicite Deum cali et terra, et coram omnibus viventibus confitemini ei, quia fecit vobiscum misericordiam suam*. Secundo aio diligentem cavendum, ne ad Herodem Christiani inimicum vos convertatis, id est, ne cum Hæreticis sine necessitate conversemini, sed illud S. Pauli consilium sedulo observetis. *Ter. III. Hæreticum hominem post unam et secundam correptionem devota, sciens, quia subversus est, qui ejusmodi est, et delinquit, cum sit proprio iudicio condemnatus*. Idem monet S. Joan. II. Ep. his verbis: *Si quis*

venit ad vos, et hæc doctrinam non offert, nolite eum recipere in domum, nec ve ei dixeritis, qui enim dicit ei ave, communicat operibus ejus malignis; sique suo damno verificat commune proverbium: Qui amat periculum, peribit in illo. Tertio denique prompte sequendum aio, id quod fiet, si vitam principis fidei nostræ conformem institueritis, seu quod idem est, si vocationem vestram ad Catholicam fidem juxta S. Pet. II. c. 1. Per bona opera certam facere studeatis; *Quid enim proderit, fratres mei, ait recte S. Jac. c. 1. Si fidem quis dicat se habere, operum autem non habeat? Nunquid poterit fides salvare eum: vultis autem scire, quenam a vobis opera exigantur? Audite S. Gregorium Nyss. tr. de nom. et Conf. Christi ea disserte explicantem: « Christianismus, inquit, est imitatio divinæ nature; si igitur Christianus es, Christum Deum imitare; noli vacuum ferre nomen atque inane, sed plenam tanti mensuram nominis imple, imple, inquam, operibus nomine dignis. »*

Epilogus.

Agite ergo, Auditores, et quandoquidem simili cum Sanctis tribus Magis gratia vos dignatus est Deus, simili quoque modo gratos exhibere vos studeo, sequimini prompte lucentem hæc fidei stellam, certoque vobis persuadete, ab ea quodammodo reperi, dicitur ad vos illud Christi: *Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ*. JOAN. VII. Vere enim inveniet Christum æternam sapientiam, atque adeo experietur id, quod PROV. VIII. Salomon in illius persona dixit: *Qui me invenerit, inveniet vitam, et hauriet salutem in Domino*, quam vobis omnibus per ejusdem Servatoris nostri merita concedere dignetur, Pater et Filius et Spiritus Sanctus, Amen.

Exemplar decimum.

In quo ostenditur quomodo catechitica aliqua doctrina in concione cum fructu explicari possit.

Thema.

Quid ergo baptizas, si tu non es Christus? JOAN. I.

TOMUS V.

Scopus.

Declarandus usus aque lustralis, atque ad eam pie adhibendam Auditores excitandi.

Syllogismus principalis.

Tunc merito frequenter et pie aqua lustralis est usurpanda, quando varias tam animæ, quam corpori commoda præstat; atqui præstat talia commoda, ergo frequenter et pie est usurpanda.

EXORDIUM

Vereor, ne dum paulo ante hæc concionem aqua lustrali de more a Sacerdote conspersi estis, etiam vos mente saltem ad eundem dicatis: Quid tu baptizas? Cur nos hæc aqua conspergis? Quem fructum inde sperare possumus? Huic ergo quæstioni in hæc concione tanto accuratius respondebo, quanto pauciores sunt, qui noverunt astimare aque lustralis, quæ Dominicis diebus benedici solet, præstantiam. Dicam ergo primo de origine aque lustralis, et effectibus illius. Secundo corollaria aliquot subiungam, quæ propter causæ similitudinem etiam aliis ejusmodi rebus benedictis seu sacramentalibus, ut vocant Theologi, facile et cum fructu applicari possunt? Cum ergo plurimum referat, ut ejusmodi rerum utilium piumque usum bene addiscatis, et practicetis, spero quoque, vos magna cum attentione et voluptate dicentem audituros.

Pars prima.

Primum ergo partem quod attinet, sciendum, jam olim apud Ethnicos fuisse morem, ut, priusquam ad templum adirent, aqua se lavarent, iudicantes, indignum esse, ut homines ad Deos locuturi accederent, nisi prius purificati; hinc etiam in veteri Testamento et novo similis moretiam est, et in veteri quidem EXOD. cap. XXX. singularis locus et vas constitutum est, in quo Aaron et Filii ejus ad altare accessuri se lavarent, sed et populus NUM. XIX. sepe conspersus est, ut mundatus per ejusmodi aspersiones tanto

dignus coram Deo comparere et sacrificia, precesque offerret. In novo vero testamento apud primos Christianos similem modum retentum testatur S. Paulinus Nolanus Epist. xxxi. dum ait, fontem ante templum stetit, in quo ingressuri templum lavarent manus, et sic ad litteram servarent illud S. Pauli ad Tim. ii. *Volo viros orare in omni loco levantes puras manus*, etc. Quia vero Deus magis optat, ut homines puro corde, quam corpore ad ipsum accedant, ideo Sancta Mater nostra Ecclesia, sicut semper in perfectione crevit, ita meliores quoque ceremonias introduxit; et, ne antiquas consuetudines penitus deleat, in perfectione mutavit, ideoque aquam lustralem per suos Sacerdotes benedixit, sicut morem deinde Alexander an. Christi 432. ab universa Ecclesia observari præcepit, et id quidem duplicem ob causam. Primo ut homines, qui aqua se conspergant vel conspergantur, meminerint animam suam munda, ut puriori cum conscientia Deum precantur, et sic tanto facilius impetrent quod petunt; non enim aqua hæc habet vim per se delendi peccata, sed juvat tantum ad excitandam contritionem, per quam deinde peccata dimittantur; unde Ecclesia in aspersione utitur his verbis S. Davidis Ps. l. *Asperges me, Domine, hyssopo, et mundabor, lavabis me, et super nivem dealabor. Item Miserere mei Deus, secundum magnam misericordiam tuam*; hæc ergo et similia verba quisvis etiam Christianus, dum templum adit, et aqua lustrali se aspergit, sive, dum domo egreditur, sive nocti somnum capit, usurpare debet, et magnum haud dubie fructum ex tanto usu reportaret. Secundo benedicitur hæc aqua, ut varia per illius pium usum beneficia et favores hominibus conferantur, quo quidem sunt duplicis classis; nam aliqua ad animam, et alia ad corpus referuntur; ad animam pertinent, quod Diabolus pellatur a nobis et nostris rebus, hunc enim in finem exorcismus seu adjuratio adhibetur in benedictione hujus aquæ, quem effectum S. Norbertus cum suis Monachis specialiter est expertus; cum enim monasterium edificare vellent, et integri exercitus Daemonum impedire eos volentium apparent, mox aqua benedicta et signo Crucis pulsata sunt, ut in ipsius vita legitur. Simili modo Sanctus Anno Episcopus Coloniensis, cum in agone Daemonem vidisset, aspergitulum petiit, et hostem aqua lustrali fugavit;

imo S. Macrobius obsessam mulierem non alio modo a Dæmone, quam per hanc aquam pro potu datam liberavit. Unde eadem aqua etiam a turpibus cogitationibus et phantasmatibus sanat; si enim Dæmonem a corpore arceret potest, quanto magis ab animo poterit? Hinc aqua benedicta miscetur sale benedicto, ut sicut sal a putredine carnes defendit, ita etiam animum a spirituali putredine turpium cogitationum tueatur. Tertio præparatur per pium hujus aquæ usum mens hominis, ut rectius orationem, divinaque alia mysteria peragat, et ideo in altarium et templorum benedictione adhibetur hæc aqua, ut a locis talibus omne devotionis et orationis impedimentum excludatur; imo ob hæc ipsam causam solet aqua talis ad fores Ecclesie constitui, ut ejus usu Christiani se adversus Dæmonis potestates et insidias defendant. Jam vero corporales effectus quod attinet, illi quoque ad tres revocari possunt classes. Prima classis est, quod magice artes a corporibus arceantur, vel certe infirmetur; sic anno 1609. pistora a maleficio, quo panem pinsere prohibebatur, liberatus est, ut in Pædagogio Christiano parte VI. c. vi. videre est; sic etiam S. Hilarius Ethnicus, cujus equus ineanatus fuerat, hanc aquam dedit, et veneficium depulit. Secundæ classis est, quod morbos a corporibus dispellat; sic S. Arnolphus quinque agros sola aqua benedicta sanavit: S. Brigitta tribus cæcis per eandem aquam visum restituit; S. Willibaldus pestis tempore eam potandam dedit, et multos liberavit, sed et pecorum morbos fugavit; sic Pædagogus Christianus refert, quemdam, cum multos equos in itinere amisisset, et ille, quo vehebatur, graviter ægrotaret, aqua a Patribus Societatis accepta sibi et equo medicinam tulisse; sic in An-cyra arde cum pestis pecus absumeret, Theodoros aqua hæc oblata, malum totum avertit. Tertiæ classis sunt: Quod tempestates et noxia animalia pellat ab agris; sic S. Vincentius Ferrerius grandem tempestatem avertit, et serenitatem obtinuit. Idem locustas, quæ quatuordecim diebus agros devastabant, ad unam omnes eadem aqua occidit, insuperque fertilitatem impetravit; quod adhuc magis confirmat illud exemplum quod an. 1603. in Æthiopia contigit; ubi Pater Petrus Paz Rusticis dividentis aquam hæc omnes locustas fugavit, solis Hereticorum agris, et uno ex Catholicis, quem mulier incredula non asperserat, vastatis uti idem

Pædagogus refert. Hi sunt ergo effectus aquæ benedictæ, quos omnes Ecclesia petit a Deo dum in aqua hujus benedictione his verbis utitur: *Virtutis tuæ benedictionem infunde.*

Pars secunda.

Atque ex hæcenus dictis aliquot corollaria deduco, et primo quidem hinc deduco, quod male illi faciant, qui nescio ex quo contemptu, aut negligentia ommittunt aquam hæc domum portare, et usurpare; quid mirum si diabolus, mali homines et varia infortunia ad tales domos accessum habeant? Vult quidem, o Auditores, vult Deus juvare, sed vult etiam media a se ordinata adhiberi, inter quæ non postremum est hæc aqua; aliter astimavit hanc aquam mulier illa, de qua Pædagogus testatur, quod in insula Japonie sæpe ad quinquaginta vel sexaginta passuum millia miserit, ut afferretur.

Secundo deduco, quantum curam debeant habere patres et matres, ut eorum liberi, quando vel cubitum eunt, vel domo exeunt, vel templum ingrediuntur, hæc aqua aspergantur, certe in vita S. Dominici legitur, quod ipsa B. Virgo noctu dormientes fratres hæc aqua asperserit. Maxime vero in agone apud agros perpetuo hæc aqua adesse debet, eaque scriptis æger aspergi, ne hostis infernalis accessum habeat.

Tertio deduco, quam graviter peccent, qui hanc aquam irreverenter tractant, vel omnino ad varias superstitiones abutuntur; grande profecto hoc peccatum est, ideo sæpe graviter punitum, rectius proin faciunt, qui pio affectu et reverentia ad cibos suos et brutorum suorum parandos, ad lac et butyrum coagulandum, etc. utuntur; atque ne vobis deesse hæc aqua possit, scitote, sufficere ad hoc ut aqua benedicta censeatur, si illi quæ benedicta est, misceatis aliam, modo plus de aqua benedicta semper remaneat; addo quod pauca guttæ eundem effectum habeant, quam multæ, cur ergo una vel altera mensura pro tota hebdomade non sufficiat?

Sed dicet forte non nemo, cur ergo multa pecora aut agri aut homines pereunt, vel damnnum patiuntur, etiamsi aqua hæc benedicta adhibita fuerit? Respondeo et quero, cur multi agri moriuntur, licet medicinas sumant? Nimirum bona sunt hæc remedia, sed non infallibilia, quia ergo non scimus,

annon in hoc vel illo casu profutura sint, hoc ipso adhibere ea debemus, quoties possumus, certi, aut speratum effectum Deum concessurum, aut id, quod magis nobis utile esse cognoverit. Addo tamen sæpe diffidentiam nostram in causa esse, quia cum modica fide et reverentia tales res benedictas adhibemus.

Epilogus.

Ergo saltem deinceps clamemus cum Apostolis: *Domine, adauge nobis fidem*, qua hæc et similes ceremonias credamus; imagine-mur, a Deo nobis ostendi fontem aquæ benedictæ, et dici illud Isaie xv. *Haurietis aquas cum gaudio de fontibus Salvatoris*. Clamate ergo cum muliere Samaritana Jo. iv. *Domine, da mihi hæc aquam*, imo ipsi haurite, et ita templo, domo, et aliis occasionibus erga vos et liberos ac pecora vestra, usurpate, ut fiat hæc aqua, hic quidem in salutem corporis animeque, in altera autem vita fons aquæ salientis in vitam æternam. Amen.

CAPUT II

Quomodo de B. Virgine conciones varie haberi possint.

Varie sunt occasione, in quibus oportet concionem de hac Sanctissima Coeli Regina institui, sed tres præcipue, quarum prima se in Festis ejus offert. Secunda in peregrinationibus ad templum aliquod miraculis celebrare institutus, uti non raro contingit. Tertia denique in Congregationibus. Rosarii precipue, quales plerumque in celebrioribus paulo locis reperiuntur! Pro singulis ergo his occasionibus unam vel alteram ideam in hoc capite proponam, simulque conceptus aliquot subjungam, ad plures ejusmodi conciones facili negotio habendas.

De concionibus in Festis B. Virginis Mariæ habendis.

Triplacis generis conciones in Festis B. Virginis institui possunt, scilicet vel ad ipsam Festum accommodatæ, vel B. Virginis excellentiam, potentiam, charitatem erga homines,

aliaque similia motiva ad ejus amorem alligantia explicando; vel denique modum eam colendi, variasque exercitationes ad eam pertinentes, proponendo, de singulis ideam seu exemplar in hoc paragrapho offeram.

Exemplar primum.

In quo ostenditur, quomodo concio de B. Virgine Festo accommodata haberi queat.

Thema.

Jacob autem genuit Joseph virum Marie. MATTH. I.

Syllogismus principalis primus.

Tunc merito creditur B. Virginem sine macula esse conceptam, quando solitis rationibus, tum ex auctoritate ipsius Dei, tum variorum Doctorum, tum ex ipsa Maternitate hujus Sanctissimæ Virginis petitis, ad id credendum persuademur; atqui verum est antecedens, ergo etiam consequens.

Syllogismus principalis secundus.

Tunc merito immaculati animi ac vite studium ferventer suscipitur, quando hic modus immaculatam Conceptionem Beatissimæ Virginis colendi est, tum in se perfectissimus, tum eidem immaculatæ Virgini gratissimus; atqui ita se res habet, ergo, etc.

EXORDIUM

Si hodiernum festum considerem, mihi videtur circa illud plerisque Christianis accidere, quod illis evenire solet, qui gemmam aliquam pretiosam invenerunt; sed quia illius pretium ignorant, parvi faciunt, ideoque etiam nullum aut exiguum fructum aut solatium ex eo referunt. Ita, inquam, et plerique Christianorum celebrant hoc Festum, sed cum exigua devotione ac fructu, quia nesciunt, quale sit hoc Festum, quam gratum B. Virgini, et quomodo illud colere debeant, his ergo hæc concione succurrat, et docebo inprimis, quid sit festum Conceptionis, se-

cundo quam gratum sit B. Virgini, si debito modo id colatur. Tertio quomodo id ipsum celebrare debeamus, quæ omnia ut digne et cum fructu præstare possim, ad te converto, o Virgo purissima, dicoque cum Ecclesia: « Dignare me laudare te, Virgo Sacrata, da mihi virtutem contra hostes tuos, » ut Auditoribus meis tuam sanctam et immaculatam Conceptionem digne explicare et probare, eosque simul in tui amorem accendere valeam.

Pars prima.

Atque ut a prima parte incipiam, sciendum est, primum nostrum parentem ab initio originali justitia præditum fuisse, id est tali qualitate, per quam plenum dominium habebat super omnes suas potentias, ita ut sine ulla difficultate a peccatis abstinere, et bona opera facere posset; postea vero Deum certam arborem in paradiso ei ostendisse, et tale cum illo pactum fecisse, ut, siquidem abstinere ab eo fructum illius arboris, eandem originalem gratiam in omnes posteros transfunderet; si vero comederet contra Dei mandatum, omnes posteri ejus originali gratia carerent, nisi per speciale privilegium eximerentur; et ita re ipsa contigit, nam cum serpens Evam, et Eva Adamum induxisset ad pomum de illo ligno comedendum, mox non tam Adam et Eva originali justitia privati, et a paradiso ejecti sunt, sed etiam decretum a Deo factum est, ut omnes, qui ex Adamo per ordinariam generationem generandi essent, eadem pena involverentur, unde breviter duo colligere licet.

Primo quid sit peccatum originale videlicet peccatum primi parentis quatenus nobis imputatur, et ob id nos gratia originali privati sumus; unde sequitur, tres effectus malos in corpore, scilicet infirmitates, mortem et putrefactionem, tres in anima, scilicet concupiscentiam inordinatam, cæcitate animæ et mortem æternam, seu privationem visionis beatificæ exortos esse.

Secundo colligitur peccatum hoc originale omnes hæcenus puros homines ab Adamo per naturalem generationem descendentes contraxisse, sola B. Virgine excepta, quam, licet aliqui pariter in originali peccato fuisse conceptam asserant; plerique tamen hodie Auctores contrarium tenent, idque triplia

ratione satis efficaci persuadent. Primo variis congruentiis ex filiatione Christi et maternitate hujus Sanctissimæ Virginis petitis, sed hæc utpote subtiliores Theologis relinquenda sunt. Secundo probant id ipsum ex variis revelationibus et miraculis, quæ, uti magis ad hoc forum pertinent, ita non abs re erit aliquas narrasse. Et primo quidem ipsa Sanctissima Virgo S. Brigittæ dixit, se esse sine macula conceptam, et hoc non definiti a Sede Apostolica, ut fideles habeant magis occasionem suam erga ipsam affectum ostendendi, uti Bernardus de Bustis Sect. I. p. 1. refert, idem etiam alias Canonico revelavit, uti S. Anselmus lib. I. miræ. cap. vii. scribit, nam cum Canonice iste noctu per aquas ex fornicatione rediret, et Matutinum de Beatissima Virgine recitans a Dæmonibus eversa navicula submersus esset, jamque ab isdem ad infernum raperetur, subito ab hac Sanctissima Virgine ereptus est, audivitque, si gratis esse vellet, operam dare debere, ut a fornicatione deinceps abstinere, et Festum immaculatæ Conceptionis devote celebraret. Deinde ipse etiam S. Thomas, cujus auctoritate tamen se maxime timentur adversarii, Fantino Episcopo Pataviensi id revelavit, cum cum Episcopo hic legeret tertiam partem S. Thomæ, et miraretur, quod ibi determinasset, quod B. Virgo in originali peccato sit concepta, apparuit ei S. Thomas dicens: « Scias Domine Episcopo, quod, quando talem opinionem posui, solum habui respectum ad statum, quo B. Virgo peccatum originale contrahere debuerat, nisi per Filium suum esset præservata; sed Dei Filius Matrem suam ab omni macula præservavit. » Ita Nicolaus de Padua, tum ejus Vicarius et Doctor asserens, se ab hoc Episcopo visionem hanc non sine magna lacrymarum effusione propriis auribus audivisse, teste eodem Bernardo de Bustis. Sect. vii. cap. Id ipsum vero aliis adhuc miraculis est confirmatum, inter quæ primum merito locum habere debet, quod Alexandro Alensi viro doctissimo ex ordine Sancti Francisci contigisse scribitur. Cum enim hic in Festo Conceptionis coram tota Universitate doceret, Beatissimam Virginem esse in macula originali conceptam, repentino ac gravi morbo correptus, eoque singulis annis eodem die redeunte tentatus est, donec votum fecit, se librum de immaculatæ Conceptione compositionem, hoc enim voto facto mox sanatus est et postea in morte sua assidue hæc verba

ingeminavit: « Maria, Domina mea, tota pulchra es, et macula originalis nunquam fuit in te. » Nec minus mirabile est, quod idem Bernardus de Bustis, in civitate Mantuæ accidisse narrat, quod scilicet cum Dominicanus quidam in solemnissima disputatione probare vellet, Beatissimam Virginem esse in macula conceptam, omnia verba in ejus ore mutata sunt, dixeritque, propono vobis istam veram conclusionem, quod Beatissima Virgo sit sine macula concepta, cumque fratres irascerentur, et ille emendare vellet, nihil aliud dicere potuerit. Sed quia forte similes revelationes et miracula ad adversarii ut incerta exploderentur; ideo tertium argumentorum genus ex affectu erga Beatissimam Virginem petitum sic formant nostræ sententiæ Auctores: quidquid probabiliter et sine incommodo Beatissimæ Virgini attribui potest, id merito tribuitur, sed hoc fieri potest in immaculatæ Conceptionis assertionem, ergo merito asseritur. Major est Sancti Augustini, Bernardi et aliorum, minor autem ex eo probatur, quod major pars Doctorum ita sentiat, neque illum inconveniens est tali assertionem secuturum apparatus, sed potius magni favores et gratiæ ab hac Sanctissima Virgine, quin et ipso Christo sperari possint, si tam honorifice de illa sentiamus et loquamur, quidni ergo id agamus? Atque ex hoc patet nunc, quid sit dies Conceptionis, nimirum dies ille, quo devota mente recolimus Beatissimam Virginem esse sine macula conceptam ideoque ipsi quidem Deo gratias agimus pro tanto favore, ipsi vero Sanctissimæ Virgini gratulamur tale privilegium, debitumque ob id honorem exhibemus. Et hoc Festum jam olim in ipso etiam cælo celebratum est, uti supra citatus Auctor Sect. VIII. p. iii et iv. refert, et merito vix enim aliud tam gratum est Sanctissimæ Virgini, quia per hoc in memoriam revocatur donum, quod soli ipsi convenit, et quo ex speciali affectu Dei erga ipsam ante omnes alios homines condecorata est; cum ergo honores iste Sanctissimæ Virgini exhibitis in totum etiam genus nostrum humanum quodammodo redundet, merito exclamamus cum Bethliensibus Jnrru. c. xv. *Tu gloria Jerusalem, tu lætitia Israel, tu honorificentia populi nostri, et illud Machab. ix. repetimus: Absit rem istam facere, et non inferamus crimen gloriæ nostræ.*

Pars secunda.

Sed videor audire vos dicentes, non dubitare vos de immaculata Conceptione, sed firmum concepisse propositum eandem ad mortem usque, vel ipsius etiam, si oportebit sanguinis effusionem defendendi; illud vero potius scire vos desiderare, quomodo eandem Conceptionem digne colere debeatis; cui desiderio vestro æquissimo ut satisfaciam, aio, varios esse modos a variis assignatos, sed communem esse, quo suadetur, ut cogitatione, verbo, et opere, colatur; cogitatione quidem, si firmiter credatur, et, ut non pauci faciunt hodie, etiam votum concipiatur eandem defendendi. Verbo, si ea condignis laudibus celebretur (id quod officii de immaculata Conceptione recitatione, et sacrificii oblatione potissimum fieri potest) et in necessitatibus, præcipue tentationibus ad peccatum, auxilium hujus Sanctissimæ Virginis per immaculatam Conceptionem imploretur, usurpando illos Ecclesie versus: *Dignare me laudare te, Virgo Sacra, da mihi virtutem contra hostes tuos. Opere denique, si varia seue misericordiæ seu patientiæ opera in ipsius honorem peregantur, ut suo modo locum habeas illud sponsi Cantic. II. Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias Aæ. Sed ego, uti non improbo hunc modum, ita alium longe gratiorem Virginis singulariter commendo, quem quidem colligo ex apparitione cuidam Religioso facta, dum ei in specie rugosæ anus apparuit Sanctissima Virgo, dicens, talem se esse in ejus mente. Ex quo sic argumentor, talis est Beatissima Virgo in mente ejusque, qualiter mens ejus constituta est, ergo ut Beatissima Virgo in aliquo sit sine macula concepta, debet etiam mens ejus sine macula existere; verbo, dicere volo, optimum esse modum colendi immaculatam Conceptionem, ut, sicut nos ipsam salutamus, et dicimus: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te*, ita nos quoque munditiæ corporis et animi ita studeamus, ut ipsa vicissim de nobis dicere possit: *Totus pulcher es, dilecte mi, et macula non est in te*. Ad hanc nos hortatur illis verbis Sanctus Joannes I. JOAN. III. *Filii mei, non diligamur verbo et lingua, sed opere et veritate*; sine hac parvi facit devotionem nostram et confessionem immaculatæ suæ Conceptionis,*

sed potius usurpabit illa Sancti Jacobi verba c. II. *Fratres mei, quid proderit, si fidem quis dicat se habere, opera autem non habeat; numquid poterit fides salvare eum?* Opus ergo a vobis exigitur, odilecti, opus, inquam, illud, ad quod Sanctus Hieronymus Serm. de Assumptione verbis his notata dignissimis vos adhortatur: *Igitur dilectissimi amate Mariam, quam colitis, colite, quam amatis; quia tunc vere colitis et amatis, si imitari velitis ex toto corde, quam amatis*; facit nempe B. Virgo ut Jehu, I. IV. Reg. c. X. dicens: *Numquid est cor tuum rectum cum corde meo? Si est, da manum (id est, opus) tuam*; ut ergo clarius edisseram, et in compendium redigam, quidquid ad solidum cultum immaculatæ Conceptionis pertinet, tria aio præstanda.

Primo ut firmissimum faciatis decretum, in primis quidem ad honorem Dei, deinde etiam ad honorem Castissimæ Virginis ab omni non tantum mortali, sed etiam veniali deliberata admissa macula, imo etiam a transgressione regule sine peccato obligantis abstinendi, dictumque vobis ab ea credatis. *Quodcumque dixerit vobis (Filius meus) servate, et facite*: hæc, hæc professio est gratissima, hoc est vere dicere, me nunquam te derelicturam, neque contra tuum, et tuæ immaculatæ Conceptionis honorem quidquam facturum, sed eandem verbo et opere defensurum.

Secundo, ut certo vobis persuadeatis, vos non omnino immunes esse ab omni peccato, sed, ut S. Bernardus ait, cor nostrum angulos habere; ubi autem anguli sunt, ibi et sordes, itaque ab eadem vobis dictum putate: « Scrutemur vias nostras, et studia nostra, et in eo se judicet quisque profecisse, non cum id invenerit, quod reprehendat; sed si id, quod invenerit, reprehendat; tunc non te fallit inquisitio tua, si rursus opus esse scrutinio advertisti; » id quod ipse etiam Christus Religioso cuiquam per Mariam Ognianensem significari jussit, ut Pater Petrus Pennequin in suo Isagoge testatur p. III. c. XV. n. 14. id ergo potius agamus, ut cito abluamus maculam, quam contraximus, et ex defectu nostro medicamentum superbiæ nostræ accipiamus, et statuamus deinceps cavere, ita, ut sicut ex scorpione fit oleum contra ictum illius, ita et nos ex peccato humiliationem, velut optimum contra illud remedium eliciamus.

Tertio ut hunc ipsum ob finem sine ma-

cula conceptam Virginem in Patronam et Adjutricem eligamus, eique corpus et animam committamus dicentes cum S. Agnetæ: *Cor meum et corpus conserva immaculatum*; atque adeo, si occasio maculandi animam ingruerit, credamus a Beatis. Virgine dici nobis: « Fili mi, abstine propter me; » quis ex tali cogitatione non sentiret cor suum emolliri, atque ad cavendum peccatum efficaciter incitari? Quis non speraret semper hoc medio victorem vitiorum futurum? Ita certe expertus est gravissimus peccator ille, qui prima die ad honorem SS. Trinitatis, secunda ad honorem Beatis. Virginis abstinere a mala consuetudine jussus, ita immutatus est, ut facilem sibi experiretur abstinentiam, quam antea impossibilem judicaret. Item et nos experiremur, si similem victoriam semel iterumque propter B. Virginem reportaremus de vitiis nostris, tunc cum fiducia diceremus, quod in calendario novo morientium hodie petitur his verbis: « O Maria, sine macula concepta fiat cor meum immaculatum, ut plus te amet, et honoret apud omnes, quam ulla creatura te possit ignorare; tu vitam tuam sine macula inchoasti, ora pro me apud Filium tuum Jesum, ut ego sine macula eam finiam.

Epilogus.

Sed finio, et omnes, quantum possum adhortor, pulcherrimis illis verbis S. Bernardi: « Totis medullis cordium, totis precordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc (sine macula conceptam) veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui omnia vult nos habere per Mariam. » Flectamus ergo genua cordis nostri, accedamus ad altare, et dicamus: « O purissima Dei Mater et Virgo, Patrona nostra clementissima, nos famuli et ancille tue, licet undique patrocinio, et amore tuo indignissimi, freti tamen pietate et misericordia tua singulari, et zelo illo, quem habes erga salutem animarum nostrarum, coram tota curia celesti proflitemur, nos firmissime credere, te sine omni macula originali conceptam esse, et hanc ipsam opinionem, non tantum pro vitibus defensuros, sed etiam operam daturus, et alii firmiter credant, et non tam cogitatione et verbo, quam opere et immaculatæ vitæ studio colant atque defendant. Obsecramus te igitur, suscipe nos in clientes tuos et cultores immacu-

late Conceptionis tuæ perpetuos, adesto nobis in omnibus actionibus nostris, sed illis præsertim vitiis, quæ immaculatam Conceptionem tuam singulariter dedecent expugnandis, nec deseras nos in hora mortis nostræ, sed potius in immaculatum tuum sinum nos suscipe, et in Paradisum Cælestem transporta, ubi cum omnibus Sanctis in omnem æternitatem gratissimum tibi præconium illud accinamus: *Tota pulchra es amica mea, et macula non est in te.* »

Exemplar secundum.

In quo ostenditur, quomodo motivum ali-quod ad Beatissimam Virginis amorem alligens proponi queat.

Thema.

Erunt signa in sole et stellis, et in terris pressura gentium præ confusione sonitus maris et fluctum arentibus hominibus, præ timore, et expectatione, quæ supervenient universo orbi. Luc. XI.

Scopus.

Demonstrandum, quod Beatis. Virgo sit arca spiritualis, per quam ab eterno interitu servari debeamus, seu quod amor Beate Virginis sit verum signum prædestinationis.

Syllogismus principalis.

Sicut in diebus Noe, ita erit adventus Filii hominis; ergo mature confugiendum est ad arcam aliquam spiritualem, in qua salvemur; atqui Beatissima Virgo talis est arca spiritualis; ergo mature ad eam confugiendum est.

EXORDIUM

In libro Gen. c. vi. legitur, quod cum Deus videret, quod multa malitia hominum esset in terra, tactus dolore cordis intrinsecus, decreverit delere hominem et animalia, ideoque Noe ad se vocaverit, eique, ut arcam ædificaret, præcepit; quod cum strenue

executus fuisset Noe, a concivibus quidem suis ab initio derisus, et pro delirio habitus est, sed magno eorum damno, nam postquam Noe in arcam cum filiis ingressus est, omnes in diluvio submersi, sero errorem suum cognoverunt, frustra deplorarunt. Quod tempore Noe evenit, idem etiam in fine mundi continget, uti ipse Christus praedixit dicens: *Sicut in diebus Noe, ita erit adventus Filii hominis; sicut enim erant in diebus ante diluvium comedentes et bibentes, nubes et ad nuptias tradentes, usque ad eum diem, quo intravit Noe in arcam, et non cognoverunt, donec venit diluvium, et tulit omnes; ita erit adventus Filii hominis, atque adeo, quisquis diluvium illud terribile iudicii divini et aeternae damnationis evadere voluerit, merito mature sibi de arca spirituali prospicere debet. Etsi vero non ignorem plures eiusmodi arcae, id est, signa praedestinationis passim ab Ascetis assignari, iudicio tamen hanc prerogativam ante alias Beatiss. Virgini convenire; quare ut mature ad illam per veram devotionem et fiduciam confugiatis, hac concione fusius ostendam, quam recte illa arcae spirituali comparetur, et quam merito devotio erga illam inter praecipua praedestinationis signa numeretur. Vos iterea, ut tanto promptius ad arcam confugiatis, mentes animosque preparate.*

Narratio.

Solent Rhetores, quando naturam et praestantiam alicujus rei accuratius volunt ostendere, ante omnia quatuor causas principales indagare, his enim cognitis iudicant, non difficulter ejusque rei naturam et praestantiam cognosci posse; quod si ergo et nos cognoscere velimus, quam vere Beatissima Virgo spirituali arcae comparetur, non melius videtur, id obtinere posse, quam si quatuor causas principales causas, scilicet materialem, formalem, efficientem et finalem indagemus; nam quoad omnes summam inter utramque arcam similitudinem deprehendemus.

Confirmationis prima pars.

Nam primam materialem causam quod attinet, qualis ea in arca Noetica fuerit, sacer textus Gen. vi. indicat, dum ait: *Fac tibi arcam de lignis levigatis* (Chaldaei et Bab-

hini ex lignis cedri intelligunt) *et bitumine lines intrinsecus et extrinsecus*; sed haec multo perfectius in arca nostra spirituali reperiuntur; illa namque vere erat ex cedro, id est, altissimis perfectionibus composita, omnisque tam corporalis, quam spiritualis putredinis experta: illa vere erat levigata, id est, ita mortificata, ut neque spiritus adversus carnem, neque caro adversus spiritum concupisceret. Illa vere erat bitumine gratiae intrinsecus et extrinsecus illita et armata, ita, ut nec unica gutta diavoli, id est, peccati cujuscumque in eam unquam intraverit, id quod clare S. Bernardus in Epist. ad Canonic. Lugdun. indicavit, dum dixit: « Magna fuit sanctificatio Jeremiae, quia potuit faciliter vitare culpam mortaliam: major sanctificatio Joannis Baptistae, quia potuit vitare frequentiam venialium: maxima Virginis Mariae, quia potuit vitare, imo vitavit omne peccatum. »

Pars secunda.

Jam vero, si formam arcae Noeticae consideramus, eam sic describit sacer textus l. c. *Trecentorum cubitorum erit longitudo arcae, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorum altitudo illius: fenestram in arca facies et in cubito consumabis summam ejus, ostium autem arcae pones, ex latere deorsum cœnacula et tristega facies in ea*; sed et haec perfectius longe in arca nostra reperiuntur, nam primo quanta illius in omnem partem dimensio fuerit, pulchre iterum S. Bernardus in quodam sermone indicat, dum ait: « Quis misericordiae tuae, o benedicta, longitudinem, profunditatem, sublimitatem et latitudinem queat investigare, nam longitudo ejus usque ad novissimum diem invocantibus eam subvenit universis; latitudo ejus orbem terrarum replet, ut tuae misericordiae omnis terra plena sit; sic et sublimitas ejus civitatis supernae invenit restorationem, et profundum ejus sedentibus in tenebris, et in umbra mortis obtinuit Redemptorem; » imo idem Sanctus dixit, hanc arcam majorem et latiore esse toto orbe terrarum, quin et ipsis caelis: « O venter, inquit, capax caelis, diffusior terris, latior elementis, qui illum continere voluit, quem totus orbis comprehendere non potuit, et qui tribus digitis molem terrae comprehendit. » Fenestra hujus arcae spiritualis erat puritas

et integritas hujus Sanctiss. Virginis, per hanc enim excluderentur omnes malignae humiditates inordinatorum affectuum. E contrario vero soli justitiae et clarissimae luci aeternae sapientiae et coloris seu amoris intensissimo Spiritus Sancti aditus copiose patebat. Ostii seu januae vicem misericordia hujus Sanctiss. Virginis subit, per quam facile sane aditus conceditur omnibus eam pulsantibus, quemadmodum pulchre S. Bernardus his verbis indicat: « Sinum misericordiae suae Mariae omnibus aperit, ut de plenitudine ejus omnes accipiant. » Denique nec habitacionum deest diversitas, nam quemadmodum in arca Noetica tres reperiebantur contignationes, una pro avibus, secunda pro hominibus, tertia pro quadrupedibus; ita in nostra quoque arca spirituali una quodammodo reperiebatur habitatio pro peccatoribus, qui bestiis comparantur a S. Davide Ps. xxviii. dicente: *Homo, cum in honore esset, non intellexit, comparatus est jumentis insipientibus, et similis factus est illis*; alia pro justis, qui vere hominis appellationem merentur, quia rationi et legi divinae conformiter vivunt; et ultima denique pro Angelis, qui avibus propter volandi canendique facultates merito assimilantur, de quibus hic rursus S. Bernardus loquitur: « Ex hoc Beatam te dicent omnes generationes, quia omnibus generationibus vitam et gloriam tribuisti; in te nimirum Angeli letitiam, justis gratiam, peccatores veniam inveniunt in aeternum; » anno ergo propter formam recte arcae comparatur B. Virgo?

Pars tertia.

Non minus tamen etiam quoad efficientem causam perfectissima reperitur similitudo, nam quoad corpus quidem edificata erat a S. Joachimo, qui vere gratiam invenerat coram Domino, et ambulabat cum eo, et propter sterilitatem ab initio irridebatur a vicinis, ut Noe: quoad animam, a quo edificata fuerit, clare S. Augustinus in lib. contra duas haereses indicavit, dum ait: « Unde sordes in Maria, quae nec in concipiendo libidinem, nec in pariendo est passa dolorem? Unde sordes in illa domo, in qua nullus habitator terrae accessit? Solus ad eam ejus fabricator et dominus venit; » si ergo Christus hanc arcam fabricavit, quis non videt, eam ob varias quidem causas, sed praecipue quia mundum

restauravit, ei que requiem (quam significari per vocem *Noe* interpretes notant) attulit sempiternam, ipsi Noe optimo jure comparari posse, atque adeo etiam ex hac parte tanto praestantiorum esse arcam nostram spirituales, quantum dignitate sua, aliisque omnibus prerogativis Christum Noemum antecedit.

Pars quarta.

Verum quod specialiter arcam nostram commendat, cause finalis similitudo est cum arca Noetica; ut enim illa ad humanum genus ab interitu corporali et temporali servandum extracta est; ita ad homines a morte spirituali et aeterna redimendos arca nostra spiritualis est preparata; quam ob causam merito amor et fiducia erga illam inter praecipua praedestinationis indicia numeratur; et hoc est, quod hodie potissimum a vobis, dilecti Auditores, bene adverti velim; non possumus quidem in hac vita sine speciali Dei revelatione certitudinem physicam habere de nostra praedestinatione (*nescit enim homo, an amore, an odio dignus sit, teste Salomone Eccles. ix.*) nihilominus tamen probabilia quaedam indicia, per quae moralem quamdam spem ac certitudinem salutis nostrae concipere valeamus, habere nos posse, omnes Theologi concedunt, et intra haec merito praecipuum, post Christi amorem, locum habere devotionem erga sanctissimam Virginem probant sequentibus, iisque efficacibus argumentis.

Primo ex comparatione cum mulieribus antiqui Testamenti liberantibus ab interitu, et figurantibus hanc sanctissimam Virginem; nam ut Eva erat mater corporaliter viventium a primo Adamo progenitorum, ita ipsa est mater spiritualiter viventium, et a secundo Adamo, id est, Christo progenitorum; sicut Filia Pharaonis Moysen ex aquis extraxit, ita Beatissima Virgo velut Filia summi Regis dignissima Christum ex aquis tribulationum et periculorum, quae saepius eum suffocare debuissent, servavit ut homines a tyrannide Diaboli educere et liberare posset; sicut prudentissima Abigail placavit iram Davidis, ne iret ad sanguinem: ex aqua pulcherrima Salomonis regnum impetravit: Judith pulcherrima Holoferni caput abscondendo patriam ab interitu liberavit: itemque castissima Esther liberationem suae gentis

maxima felicitate procuravit; ita misericordissima nostra Mater hæc omnia tanto perfectius præstilit, quanto pluris faciendum est, ab æterna quam temporali morte esse servatum, et ad cœlestem, quam terrestrem regnum fuisse promotum.

Secundo id ipsum probant, et colligunt ex variis scripture locis, quæ ex divino instinctu ab Ecclesia ipsi attribuuntur, quales sunt v. g. *Beatus homo, qui audit me, et vigilat ad fores meas quotidie, et observat ad postes ostii mei, qui me invenerit, inveniet vitam, et hæuret salutem a Domino; qui autem in me peccaverit, lædet animam suam; et omnes, qui me oderunt, diligunt mortem.* PAOV. VII. simili modo etiam attribuitur illi memorabilis illa Eccl. XXV. c. sententia: *Qui creavit me, requievit in tabernaculo meo, et dicit mihi: in Jacob inhabita, et in Israel hæreditare, et in electis meis mitte radices; præ reliquis autem pulchre hanc veritatem confirmat, quod illa sententia Cantico- rum VII. *Venter tuus, sicut acerus tritici, ei accomodetur; per eam namque interpretis significare voluit Christum fuisse fertilissimum illud granum tritici, de quo in Evangelio ipse olim loquebatur, quod in terram per mortem coniectum, mortuumque fecit fructum multum, ideoque pro electo hoc tritico iustorum ventrem seu sinum Beatissimæ Virginis velut horreum vel receptaculum fuisse preparatum.**

Tertio pari modo id ipsum colligitur ex titulis, qui ab eadem Ecclesia huic sanctissimæ Virgini attribuuntur, quales sunt janua cœli, stella matutina, civitas refugii, præcipue vero Mater Dei, et arca fœderis, nam si Salomon matri suæ Bersabæ dixit, REG. III. c. II. *Pete mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam, si eodem loco ad Abiathar Sacerdotem dixit: Equidem vir mortis es, sed hodie non interficim te, quia portasti arcam Dei coram David Patre meo.* Quanto magis Christum matrem suam dilectissimam exaudiet, et omnibus, pro quibus ipsa intercedit, regnum cœlestem dabit, quanto magis parcat, et æterna morte non puniet eum, qui vivam fœderis arcam, id est, matrem suam sanctissimam in corde suo per totam vitam circumtulit?

Quarto etiam auctoritate et consensu sanctorum Patrum id confirmant, ex quibus tantum unum alterum breviter citare placet. Quorum primus est S. Anselmus, qui in sermone quodam memorabilem hanc sententiam

protulit, omnium hominum cordibus aureo caractere inscribendam: « Sicut a te despectus, et a te aversus, necesse est, quod pereat, sic ad te reversus, et a te respectus impossibile est, quod pereat. » Secundus est S. Germanus Patriarcha, qui in sermone de Zona sic loquitur: « Quomodo corpus nostrum vitalis signum operationis habet respiratorem, ita, et sanctissimum nomen tuum, o Virgo Beatissima, quod in ore servorum tuorum versatur assidue, in omni tempore, loco, et modo vite, lætitiæ et auxilii non solum est signum, sed ea etiam procurat, et conciliat. » Quis non singulare ex talibus sententiis solatium capiat?

Quinto idem ex variis etiam revelationibus probant, nam in primis ipse Deus S. Catharina Sennensi revelavit, ut in tr. IV. dial. c. cxxxix. legitur, quod propter incarnationem Filii sui, Matri ejus ex infinita sua bonitate concesserit, ut nullus peccator, quantumcumque magnus, qui eam debita fiducia et devotione coluerit, a Diabolo abripiatur; ipsam namque esse escam dulcissimam, qua inestis homines, et præcipue peccatores ad cœlum attrahantur. Sed et Christus quodam Garsendæ nobili Matronæ pro Comitæ Elzeario, quem educaverat, oranti dixit: « Juveneri huic, pro quo tantum oras, noveris me matrem meam dedisse Magistram; nihil ergo de illo dubites. » Præ reliquis tamen memorabile est, quod ipsamet sanctissima Virgo quondam S. Alano dixit; ut Georgius Pistorius in matre admirabili conc. VII. refert: « O dilectissime Sponse: debeo tibi occultum providentiæ divinæ mysterium revelare, quod mox etiam aliis a te manifestari velim, nempe a salutatione Angelica, per quam totus mundus instauratus est, et tædium et horrorem habere esse infallibile signum reprobationis; e contra vero ad illum in animo devotionem et voluptatem sentire, signum prædestinationis est. » Alias vero S. Brigitiæ dixit; ut Pater Petrus Pennequin in Isagoge dissert. II. n. v. refert: « Ego sum Regina Cœli, ego mater misericordiæ, ego iustorum gaudium et aditus peccatorum ad Deum. Nullus est adeo maledictus, qui, quamdiu vivit, careat misericordia, quin propter me levius tentatur quam alioquin a Dæmonibus tentaretur. Nullus est ita alienatus a Deo, nisi fuerit omnino maledictus, qui, si me invocaverit, non revertatur ad Deum, et habiturus sit misericordiam. Ego vocor ab omnibus misericordiæ Mater, et vere, quia mise-

ricordia ejus me fecit misericordem, ideo miser erit, qui ad misericordiam, cum possit, non accedit, ergo veni, et absconde te sub pallio meo. »

Sexto, id ipsa experientia confirmat, qua constat, quotquot magis in sanctitate et virtute perfecti fuerint, eos singularem semper erga sanctissimam Virginem amorem, devotionemque habuisse, neque unquam fuisse repertum, qui vel minimam devotionem constanter exerceat, et tamen mala morte obierit. Nimirum ut Auctor nature tenellis agnis naturalem quemdam instinctum indidit ad matrem suam ex mille aliis ovibus, licet fere similibus dignoscendam, ut per eam ali et conservari possent; ita Deus quoque ut Auctor gratiæ iis, quos salvare decrevit, internum quemdam impulsum et amorem ad hanc sanctissimam Virginem ingenerat, ut ad eam confugiant, et per ejus maternam pietatem salvari mereantur. Ut adeo integerrimus ille juvenis Perchmanus ex Societate Jesu merito dixerit: « Si amavero Beatissimam Virginem, securus ero mea salutis, et constantiæ in vocatione. »

Septimo denique id ipsius etiam Dæmonis confessionis stabiliunt, qui, licet pater mendacii sit, in iis tamen, ad quæ revelanda divina auctoritate compellitur, merito ipsius confessio non levem auctoritatem habere debet; de hoc ergo legitur in histor. Ord. Predic. quod adjuratus cum socio in obsessio homine jussusque dicere, quem sanctum maxime reformidaret, sequentia responderit. Primo: Mater Dei est nimis potens in præservandis servis suis, ne infernum ruant. Secundo fatemur coacti, neminem nobiscum damnari, qui in ejus sancto cultu perseverat devotus. Tertio, unicum suspirium ab ipsa prolatum et sacrosanctæ Trinitati oblatum excedit omnium Sanctorum merita. Quarto, contra fideles ejus servos non possumus prevalere. Quinto, notum sit omnibus, plurimos in hora mortis eam invocantes salvari. Sexto, amplius compulsi annuntiamus, nullum in exercitio sacri Rosarii perseverantem damnari, quia ipsa impetrat contritionem, et alia ad salutem necessaria.

Ex quibus omnibus facile nunc apparet, quam merito Beatissima Virgo Arcæ spirituali comparetur, atque adeo nihil aliud susperit, quam ut in eam mature confugiamus, eamque in finem duos pedes spirituales usurpemus, quorum primus est fidelis fiducia

ad hanc sanctissimam Reginam; ideoque illam sancti Bernardi admonitionem perpetuo in mente et auribus habeamus: « In periculis, in rebus dubiis, Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat a corde. »

Secundus pes est constans erga eandem Dei Matrem devotio, quæ in eo consistit, ut pauca quidem, sed constanter et ferventer peracta obsequia quotidie, vel certe in diebus ipsi specialiter dedicatis, quales sunt sabbatum et festa illius peragamus; præcipue tamen imitatio illius in exequenda Dei voluntate procuratur; hoc enim esse efficacissimum, imo necessarium medium ad opem illius impetrandam jam olim sanctus Bernardus indicavit dicens: « Ut impetres orationis ejus suffragium, non deseras conversationis exemplum; » quin imo ipsamet sanctissima Virgo id ipsum satis insinuavit, dum in nuptiis Cane Galilæe volentibus vinum per ipsam a Filio impetrare dixit: « Quodcumque dixerit vobis, servate et facite; » hoc ergo potissimum caput est, in quo sanctissima Virgo nostram imitationem desiderat, ut nempe non tam ore quam opere dicamus: « Ecce Ancilla Domini, fiat mihi secundum verbum tuum; » tunc enim merito etiam ad hanc devotionem applicare possumus illam sancti Joannis I. cap. V. sententiam: « Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum (et sanctissimam Matrem illius) et quidquid petierimus, accipiemus ab eo, quoniam mandata ejus custodimus, et ea, quæ sunt placita coram eo, facimus. »

Epilogus.

His ergo duobus pedibus instructi audacter accedamus ad arcam istam spiritalem, et tunc magna fiducia dicamus: « Sub tuum presidium confugimus, sancta Dei Genitrix, nostras deprecationes ne despicias; noli aspicere nostra peccata et demerita, sed potius merita Filii tui; noli attendere malitiam nostram, sed tuam misericordiam maternam considera: noli meminisse hactenus admisse in tuo cultu et veneratione negligentia, sed potius memento, te velut Arcam spiritalem nobis a Filio tuo oblatam esse, dum nos tibi in cruce tam sollicite in Joanne commendavit, libera ergo nos a periculis cunctis, o Virgo gloriosa et benedicta,

precipio vero a diluvio illo terribili ultima sententia, ut et nos tibi cum Noe post periculum superatum, altare spirituale amoris in corde nostro edificemus, et laudes tibi ac Deo cum Sanctis omnibus a te liberatis per totam aeternitatem canamus. Amen. »

Nota hunc esse copiosissimum fontem, ex quo plurima, eaque sat utiles materie pro concionibus de B. Virgine hauriri possunt, uti ex sequentibus conceptibus videre est.

Conceptus alii.

I. Ex occasione thematis: *Ecce Mater tua.* Joan. xix. ostendi potest, quomodo B. Virgo vere sit Mater nostra spiritualis, et quidem triplici titulo. 1^o Quia, cum sit mater Christi est etiam Mater membrorum ejus; Fideles autem sunt membra Christi, illi ut capiti connexa, uti S. Augustinus in l. de Virg. discurrens. 2^o Quia, cum Christus sit Frater noster, uti ipse MATTH. xxviii. indicavit dicens: *Ite, nuntiate fratribus meis*: merito et ipsa Mater nostra dici potest, uti S. Anselmus de concept. Virg. c. xv. notavit dicens: « O Domina, si Filius tuus factus est per te Frater noster, nonne tu per illum facta es nostra Mater? » 3^o Et potissimum, quia omnia officia veræ Matris perfectissimo modo spiritualiter erga nos exercet. Nam 1^o sub Cruce nos genuit, uti S. Rupertus super verba: « Mater, cum parit, tristitiam habet; » notavit dicens: « Proinde quia ibi dolores ut parturientis sustinuit in passione Unigeniti Dei, omnium nostrum salutem B. Virgo peperit, et facta plane omnium nostrum Mater est. » Hinc et Christus ibi potissimum dixit Joanni omnium hominum personam sustinenti: *Ecce Mater tua.* Et Salazar in c. viii. Prov. ideo putat cuius homini illa Cantic. c. viii. verba applicari posse: *Sub arbore malo* (id est, cruce ex malo, ut aliqui putant, facta) « suscitavit; ibi peperit te Mater tua, ibi parturivit te Genitrix tua. » 2^o Quia nos sollicite alit, et educat, omnia necessaria corpori et animæ impetrandu, sicut vinum in Cana Galilee impetravit. Certe S. Hermannus, cum adhuc puer esset, lapidem in templo ostendit, sub quo, quoties victu aut alia re indigebat, tantum pecunie reperiebat, quantum pro presenti necessitate indigebat; unde merito, quod olim Pharoæ Aegyptiis frumentum aut aliud quid potentibus dicebat: *Ite ad Joseph,*

Christus nunc de Matre sua ad nos dicit: *Ne ad Matrem meam.* 3^o Quia in sinum suum nos recipit, et a periculis ac hostibus defendit, sicut gallina pullos suos; ut adeo merito S. Bernard. hortetur: « In dubiis, in angustis, in periculis Mariam cogita, Mariam invoca, non recedat ab ore, non recedat a corde. » 4^o Quia hæreditatem æternam procurat juxta illud Prov. vii. *Qui me invenit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Unde merito omnes illis Siracidis verbis Eccl. xxiv. ad se invitat: *Transite ad me omnes, qui concupiscitis me, et a generationibus meis implemini.* Spiritus enim meus super mel dulcis, et hæreditas mea super mel et favum. Vide Pistorium de Matre admirabili conc. iii. et nota historiam de Matre juxta maternum in B. V. transcribente, fol. 29.

II. Ex occasione thematis: *Ace maris stella, Dei Mater alma*: potest B. Virgo stellæ Maris comparari. 1^o Quia sicut stellæ rotundæ sunt, atque adeo figuræ capacissimæ; ita et Beata Virgo coelestium donorum capacissima extitit, ut S. Hieronymus testatus est dicens: « Ceteris virginibus per partes præstatur: Mariæ vero se totam infudit gratiæ plenitudo. » 2^o Quia sicut stellæ nobis parvæ videntur, in se autem altissimæ et maximæ existunt; ita et B. Virgo in suis quidem et hominum oculis, dum vivebat, parva et humilis apparebat (hinc enim se ancillam Domini vocabat) in se vero maxima fuit, uti S. Anselmus testatus est dicens: « Nihil tibi Domina, æquale est, nihil comparabile; omne enim, quod est, aut supra te est, aut infra te; supra te solus Deus est; infra te omne, quod Deus non est. » 3^o Quia sicut stellæ maris illuminat et dirigit navigantes, eosque a periculo naufragii liberat; hinc S. Bern. « In dubiis, in periculis respice stellam, voca Mariam; » id quod exemplo Theophili B. V. primo negantis, postea vero per illam a Dæmonis potestate liberati probari potest, uti fufus in Spec. Exempl. Tit. Maria. Ex. vi. probari potest. 4^o Quia sicut stellæ suis influxibus recreat, et conservat homines; ita B. V. coelestibus et temporalibus donis impetratis servos sibi devotos lætificat, et fovet, hinc merito Idiota dixit: « Non est in ullo alio nomine post nomen superbenedicti Filii tui tam potens adiutorium; nec est ullum aliud nomen datum sub celo hominibus post dulce nomen Jesu, ex quo tanta salus hominibus refunditur, quia super omnia nomina reficit

lapsos, sanat languidos, illuminat cecos, penetrat duros, recreat fessos, ungit agonistas, et jugum Diaboli extrudit; id quod frequentia anathemata in templis suspensa passim testantur. » 5^o Quia sicut stellæ maris attrahit ferrum, ita B. Virgo peccatores; quam ob causam refugium peccatorum dicitur. Hinc et S. Gertrudi olim, teste Blosio in monil. c. i. splendidissimo pallio cooperta apparuit, et varias, easque deformes valde bestias ad se confugientes magna charitate excepit, et pallio suo involvit, cumque ob hoc factum obstupesceret S. Gertrudis significatio est illi, per has bestias peccatores indicari quos illa ad se confugientes pari benevolentia suscipere consuevit. Eum in finem narretur historia de juvene scelerato, qui ad avunculi consilium quotidie psalterium recitavit, mirabiliter converso, uti in Spec. Exempl. tit. Maria Ex. v. fufus refertur.

III. Ex occasione thematis: *Qui me invenit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino*, ostendi potest, quomodo B. Virgo sit janua cæli. 1^o Quia per illam omnes ad cælum intrare debent, uti S. Bern. ser. de aqua ductu testatus est dicens: « Totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus, et votis omnibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per Mariam. » 2^o Quia porta hæc semper aperta est, uti iterum S. Bern. super Signum magnum, indicavit dicens: « Sinum misericordiæ suæ Maria omnibus aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi. » Hinc S. Birgittæ quondam dixit: « Ego sum Justorum gaudium, et aditus peccatorum ad Deum; nullus est adeo maledictus, qui, quamdiu vivit, careat misericordia mea: nullus ita abjectus a Deo, qui, si me invocaverit, non revertatur ad Deum, et habiturus sit misericordiam. » 3^o Quia ampla est hæc porta, atque adeo sine magna difficultate per eam intratur, id est, per exigua opera ad B. Virginis honorem præstita salus obtinetur, uti pulchre probari potest variis exemplis, maxime Latronis propter amorem Deparæ die sabbati jejunantis, et nullum occidentis, postea illius ope mirabiliter conversi, uti in Spec. exempl. tit. Maria Ex. xx. fufus videre est; aut Militis quotidie unicuique Ace dicens, et a Diabolo, qui sub specie famuli quatuordecim annis ipsi insidiatus fuerat, liberati, uti ibid. V. Salutatio Angel. Ex. v. narratur. Uno merito Ecclesiæ cantat: *Alma Redemptoris Mater, quæ per viam*

cæli Porta manes. Eamque etiam in alio hymno salutat: *Ace maris stella, Dei Mater alma, atque semper Virgo, felix cæli Porta.*

IV. Ex occasione thematis: *Sub tuum prædium confugimus S. Dei Genitrix*: potest imprimis judicium extremum tempestati terribili comparari propter exhalationes nostrorum peccatorum sursum ascendentes, et Deum graviter offendentes; propter horrendum tonitru tubarum Angelicarum clamantium: *Surgite mortui, venite ad judicium*: propter fulgur horrificum adventus Filii hominis, id est, Christi ad judicandum venientis, de quo S. Mattheus c. xxiv. dixit: *Sicut fulgur exit ab oriente, et paret usque in occidentem, ita erit et adventus Filii hominis*: et propter fulmen terribile ultimæ sententiæ: *Ne maledicti in ignem æternum.* Deinde vero potest subinferri, varia media ab hominibus adhiberi, ut se contra fulmen defendant; alios enim in specus et cellas subterraneas se abscondere; alios hispanicas cruceas cum in finem portare; alios denique ad laurum confugere, eo quod Plinius et alii narrent, laurum nunquam fulmine percuti, unde Imperator quidam, quoties cælum tonabat, caput laurea corona cingebat; et horum consuetudinem contra spirituale tempestatem tanto impensius imitandam videri, quanto certiores sunt, se a fulmine terribilis sententiæ non ferendos esse, si ad Laurum spirituale, nempe B. Virginem, quæ tum ob Virginitatis decus semper custoditum, tum ob folia semper virentia bonorum operum nunquam interruptorum merito Lauro comparari potest, confugiant; ita enim colligitur I. ex S. Bernardi hom. ii. super missus est testimonio, dicens: « Si criminum immanitate turbatus, conscientia fœditate confusus, iudicii horrore perterritus, barathro incipias absorberi tristitia, desperationis abyssos, cogita Mariam. » 2^o Ex S. Ignatii Mart. testimonio, qui teste Nickeniensis p. II. d. ccclii. n. 15. dicere ausus est: « Nunquam male peribit, qui Genitrici Virgini devotus, sedulusque exstiterit. » 3^o Ex revelatione S. Catharinæ Sennensis, quæ, ut refertur in tract. IV. dial. c. xxxix. ab ore ipsius æterni Patris hæc verba audit: « Mariæ Unigeniti Filii mei Genitrici gloriose concessum est a bonitate me propter Incarnati verbi peccator recurrit ad eam cum devota reverentia, nullo modo decipietur, vel devorabitur ab infernali Dæmone. »

4^o Ex visione S. Francisci, qui, ut Dauros in catech. histor. c. n. tit. 40. refert, vidit quondam in planitie homines congregatos, ac duas scalas ad caelum pertingentes, unam rubram, cui Christus insidebat; alteram candidam, cui B. Virgo insidebat; cumque per rubram Fratres ascendentes mox iterum a Christo dejecti fuissent, ad alteram fugientes facilem ad caelos aditum per B. Virginem repererunt? unde merito S. Bernardus ait ser. i. de Assumpt. « Advocatam praemisit peregrinatio nostra, quae tamquam iudicis Mater, et Mater misericordiae suppliciter, et efficaciter salutis nostrae negotia pertractabit. » Quidni ergo clamemus cum Ecclesia: « Sub tuum praesidium confugiunt S. Dei Genitrix: nostras preces ne despicias in necessitatibus nostris, sed a periculis cunctis libera nos semper, Virgo gloriosa, et benedicta. »

V. Ex occasione thematis: *Beatus homo qui audit me, et qui vigilat ad fores meus quodvis, et observat ad postes castrorum mei.* Prov. vii. dici potest, cum vita nostra nihil aliud sit, quam peregrinatio iuxta illud Apostoli II. Cor. v. *Dum sumus in corpore, peregrinamur a Domino*; merito viam securam, certam, et planam quaerendam esse, per quam ad patriam nostram certo perveniamus, a talem autem esse B. Virginem, ut pote qua¹ via est *securissima*, cum sit terribilis ut castrorum acies ordinata; et ut S. Bonav. in Spec. ait: « Non sic timeant hostes visibiles castrorum multitudinem copiosam, sicut aerae potestates Mariae vocabulum, patrociniū, et exemplum. Fluunt et pereunt sicut cera a facio ignis, ubicunque inveniunt hujus nominis recordationem, devotam invocationem, sollicitam imitationem. » Hinc Eremitae cuidam, et P. Balthasari Alvarez, Soc. Jes. Sacerdoti dixerunt, se destitutos ab eorum impugnatione, si illi a cultu B. Virginis desisterent. 2^o *Certissima* est, uti imprimis testatur Ecclesia ipsi applicans verba illa Prov. vii. *Qui me inveniit, inveniet vitam, et hauriet salutem a Domino.* Dein id ipsum S. Bern. confirmat, dum in hom. ii. sup. missus est ait, « Ipsam sequens non devias, ipsam cogitans non erras, ipsam rogans non desperas, ipsa tenente non corruis, ipsa protegente non metuis, ipsa Duce non fatigaris, ipsa propitia pervenis; » ad felicitatem scilicet aeternam. Et tandem confirmat ipsa experientia, qua habetur neminem unquam damnatum esse, qui huic Vir-

gini devotus exstiterit, ut adeo merito Daemonis aliquando coacti dixerint, eam esse nimis potentem in praeservandis servis suis, ne in infernum ruant. Id expertus est Religiosus ille, qui, ut S. Antonius p. 3. t. XXIII. c. x. narrat, in agone duos Daemones horribili specie adstantes videns clamare coepit: « *Maledicta hora, in qua Religiosus sum factus.* » Sed mox B. V. adveniente, fugatis Daemonibus, serena facie dixit: « *Benedicta hora, qua Ordinem intravi; et benedicta Mater Christi, quam semper dilexi, et in qua fiduciam meam posui.* » 3^o *Planissimam* quoque esse hanc viam testatur imprimis S. Ambrosius, qui nihil in ea asperum, nihil torvum reperiri, sed totam misericordem esse asserit. Confirmat dein iterum S. Bern. dum ait: « *Volve, revolve totam Evangelii scriam, si quid durum, si quid asperum invenias in Maria, ad illam accedere merito valearis, ideo vellus Gedeonis dicitur, quia vellus est mansueti, mitisque animantis exuviam.* » Hinc apud S. Bonav. in Spec. c. vii. exclamat idem Sanctus. « *O magna, o pia, o multum laudabilis Maria, tu nec nominari potes quin accendas; nec cogitari quidem, quin recreas affectus diligentium te. Tu nunquam sine dulcedine divinitus insita pia memoriae portas ingrederis.* » Causam vero hujus mitissimi affectus merito amoris, quo homines prosequitur adscribit S. Petrus Dam. ser. de nativ. Virg. dum ait: « *Scio Domina, quia benignissima es, et amas nos amore invincibili, quos in te, et per te, Filius tuus, et Deus tuus summa dilectione dilexit. Et quoniam amor non nisi amore rependitur, ideo redamare eam pro virili studeamus.* » Si ergo amari et amare jucundum est, quis non hanc viam ad caelum jucundissimam esse credat, et quia simul eliam certa atque secura est, praere reliquis eligat ad iter in Patriam caelestem suscipiendum? Ostendatur ergo in secunda parte concionis, quinam sint gemini pedes spirituales, quibus haec via decurrenda est, scilicet *fiducia filialis, et cultus fervens*; et fiducia quidem in eo maxime ostendenda est, quod firmiter creditur, eam posse et velle pro omnibus aliis Sanctis juvare nos, atque adeo ad eam in omnibus necessitatibus, dubiis, et adversis casibus sine timore repulsae recurratur, exemplo S. Bernardi, qui in serm. de nativ. Virginis aperte confessus est, hanc Virginem esse suam maximam fiduciam, et totam rationem spei suae. Et ideo ser. IV in Dom. ii.

Epiph. alios quoque ad similem fiduciam memorabili et consolatione plenissima sententia excitat dicens: « *Sileat laudes tuas, si qui est, qui in necessitatibus suis invocatum te sibi meminerit defuisse.* Nos quidem servuli tibi ceteris in virtutibus congaudemus tibi, sed in hac potius nobis ipsis. Laudamus virginitatem, humilitatem miramur, sed misericordia miseris sapit dulcius; misericordiam amplectimur carius, recordamur saepius, creblius invocamus. »

Cultus vero Marianus in eo potissimum ostendendus, ut, quae pietatis exercitia ad honorem Virginis eliguntur, ferventer, constanter, et pura mente offeramus, eumque in finem illud S. JOANNIS I. c. ii. dictum nobis applicemus: *Charissimi, si cor nostrum non reprehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum* (et SS. hanc Virginem) *et quidquid petierimus, ab eo accipiemus.* Hinc in nuptiis Cane Galilaeae rogantibus, ut vinum a Filio impetraret, mox dixit: *Quaecumque dixerit vobis* (Filius meus) *servate, et facite.* Hinc et S. Bernardus de hac Virgine discurrens. « *Ut impetres, ait, orationis suffragium, non deseras conversationis exemplum;* » nam, ut alius recte cecinit: « *Virginis est cultus pulcherrimus optima vita.* » Alioqui contingit quod juveni illi contigit, ut in Spec. Exempl. v. salut. Angel. Ex. vi. refertur, qui, cum turpissimam vitam vivens, ipsam frequentius per varias preces coleret, et salutaret, quadam die eam spectabilem habuit cum aliis speciosis virginibus, quae cibos optimos in sordidis scutellis depositos offerebat, et ad comedendum invitabat; cumque ille nauseare se hos cibos ob scutellarum immunditiam diceret, respondit Mater Dei, eodem modo et se nauseam habere precum ab ipso peragi solitarum, eo quod ex immundo corde proficerentur. Itaque excitentur Auditores, ut dictum sibi de hac via existiment, quod Jeronias c. vi. monet: *Stare super vias vestras, et videte, et interrogate de semitis antiquis, quae sit via bona, et ambulate in ea, et invenietis refrigerium animabus vestris.*

VI. Ex occasione thematis: *Pete Mater mea neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* III. Reg. ii. potest recenseri historia, quae in cit. cap. de Bethsabee Salomoni Filio regnum impetrante narratur, dicitque, nos quoque regnum aliquod, scilicet caeleste, ambire, verum id melius impetrare non posse, quam per Matrem nostram, id est Deiparam, ut quae pro omnibus aliis Sanctis habeat proprieta-

tes ad potentem Advocatum requisitas, scilicet *ut sciat, possit, et velit* intercedere pro nobis, et juvare, id quod fusiis demonstratur. Et 4^o quidem ostendatur, quod *sciat* juvare, eumque in finem S. Germani ser. ii. de Assumpt. sententia citatur dicens: « *Ipsa omnia observat, omnia contuetur, et inspectio illius ad omnes se exporrigit. Et nescit quidem homo, » teste Sancto Anselmo de excell. Virg. « quid oret, et quomodo oret, sed ipsa quid, et quomodo petendum sit, novit. » Quia, ut S. Petrus Dam. ser. de Annunc. ait, « per ipsam, cum ipsa, et in ipsa totum hoc faciendum decernitur, ut, sicut sine ipsa factum est nihil, ita sine ipsa nihil reatum sit. » 2^o Pariter ostendatur, quod *possit* juvare; cum enim Matris officium incomparabiliter perfectius erga Christum inpleverit, quam Bethsabee erga Salomonem, potiori quoque jure dicitur ipsi a Christo: *Pete Mater mea, neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Unde S. Petrus Dam. ser. i. de Nativ. ait, « ipsa accedit ad thronum Dei non solum rogans, sed et imperans, Domina, non Ancilla. » S. Anselmus vero ser. de excell. orat. « *Benignissimus, inquit, Filius tuus Dominus noster Jesus Christus erit ad concedendum quidquid velis, promptissimus et exaudibilis, tantummodo velis salutem nostram.* » Id quod et ipsamet confirmavit, dum S. Hyacintho apprensus dixit: « *Fili Hyacinthe, quia orationes tuae sunt grato Filio meo, et quidquid per me petieris, impetrabis.* » 3^o Denique ostendatur, quod *velit* etiam juvare; « nam adeo pietate replentur viscera tua, o Virgo (inquit Richardus de S. Victore ser. iv. in Cant.) ut alicujus misericordiae notitia tacta lac fundant misericordiae, nec possis scire, et non subvenire. » Unde et S. Bernardus hujus voluntatis iam promptae causam maternitatem illius esse ostendens ser. ii. in Dom. 2. post Epiph. ait: « *Nihil se potest potestatis ejus seu pietatis magnitudinem commendare, nisi forte aut non creditur Dei Filius honorare Matrem; aut forte dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Mariae viscera in quibus, quae ex Deo est charitas, novem mensibus corporaliter requievit.* » Imo « *velocior interdum, teste S. Anselmo cap. vi. de excell. Virg. est salus memorato nomine Virginis quam invocato nomine Filii, non quod ipsa major sit (nec enim ipse magnus et potens est per eam, sed illa per ipsum) sed quia et si me-**

rita invocantis non morentur, ut exaudiatur, merita tamen Matris intercedunt, ut exaudiatur. » Quam ob causam recte ad fiduciam magnam, et solatium capiendum hortatur Arnoldus Carnot de laud. Virg. dum ait : « Habet homo Mediatorem cause suae Filium ante Patrem, et ante Filium Matrem, Christus Patri ostendit latus et vulnera : Maria Christo pectus et ubera ; nec potest ullo modo esse repulsa, ubi concurrunt et orant omni lingua disertius hæc clementiæ monumenta, et charitatis insignia. »

Exemplar sextum.

In quo ostenditur quomodo variæ devotiones persuaderi debeant.

Scopus.

Ostendendus solidus modus colendi B. Virginem.

Thema.

Beatus venter, qui te portavit. LUC. XI. cap.

Syllogismus principalis.

Tunc merito B. V. cultum summe estimationis, (post Deum) fiducia, imitationis, et zeli exhibemus, quando pluribus titulis in ea reperitis ad eum exhidendum incitatur ; atqui verum est antecedens, ergo et consequens.

EXORDIUM.

Serenissimus Maximilianus Bavarie Elector p. m. inter alia suæ pietatis monumenta non postremum, reliquit columnam marmoream in medio metropolitana civitatis Monachii extractam, in qua imago B. V. artificiose sculpta publicæ venerationi exponitur ; circum circa vero cancelli marmorei in quadrangulari forma erecti visuntur, in quorum angulis quatuor milites draconem perimentes, et non procul ab his quatuor Iucernæ sunt constituta. Quas ob causas piissimus Princeps hæc columnam erigi iusserit, varii varice cogitent, ergo in factum credo, ut ostenderet, se pro Patrona totius Bavarie B. Vir-

ginem elegisse, optaretque, ut omnes etiam subditi in suis domibus, aut potius cordilios similem columnam exstruant ; sic enim non dubitare se, quin patrocinio huius potentissimæ Patronæ omnes protegiendi, ubereque a Deo benedictionem impetraturi sint. Non vero tantum Maximilianus, sed etiam ipse Deus videtur hoc optare, ut pulchre S. Bernardus indicavit, dum dixit, « totis medullis cordium, totis præcordiorum affectibus Mariam hanc veneremur, quia sic est voluntas ejus, qui omnia nos habere voluit per Mariam. » Ut ergo huic tam justissimo Dei desiderio satisfiat, ego in presenti concione, quomodo hanc columnam spiritualiter erigere debeatis, ostendam ; favete interea, et tanto attentius dicentem audite, quanto majorem ex columnæ hujus erectione fructum potestis sperare.

Propositio.

Quinque, ut auditis, partes in columna Monacensi reperiuntur. 1^a Basis seu fundamentum. 2^a Ipsa columna. 3^a Imago columnæ. 4^a Virorum Draconem interficientium statua. 5^a Lucernæ. Omnia hæc in nostra columna spirituali pariter reperiiri debent ; hæc enim quinque sunt, quæ ad perfectum cultum B. Virginis requiruntur.

Prima pars.

Et 1^a quidem *basin* requiri aio, per quam nihil aliud, quam magnam de hac Sanctissima Virgine æstimationem intelligi, ut enim, quo solidior est basis, tanto altius et securius columna erigi potest ; ita quanto major de B. Virgine æstimatio concipitur, tanto major erga eam fiducia et veneratio exurgit. Porro hæc æstimationem concipere non erit difficile, si, quod Franciscus Suarez e Soc. Jesu doctissimus Theologus t. II. in 3. p. d. xviii. f. 4. fuse probat, perpendamus, nempe quod hæc S. Virgo in primo statim Conceptionis suæ instanti tam in gratia, quam aliis donis supernaturalibus longissime superarit omnes tam Angelos quam homines collective sumptos, eaque deinceps singulis pene momentis usque ad finem vite duplo ab ea aucta fuerit, quæ doctrina licet ab initio alicui incredibilis videri queat, non parum tamen auctoritatis accipiet ex eo, quod ipsa

Secunda pars.

B. Virgo quondam P. Martino Gutierrez apparuerit, gratiasque egerit, quod sua adhortatione et consilio dictum P. Suarez ad hanc sententiam docendam, et tam solide probandam incitarit. Nimirum fecit Deus in creatione animæ hujus S. Virginis, quod olim Apelles Junonis effigiem pingere jussus, fecisse legitur, ut enim hic pulcherrimas quasque virgines ab Atheniensibus sibi sisti petiit, ut ex earum qualibet, quod in ea præstantissimum erat, in imaginem suam transferret, ita Deus in effingenda anima hujus B. Virginis perfectissimas quasque mulieres sibi proponebat, et quod earum singulæ perfectissimum continebant, in hæc imaginem suam collective transtulit, hinc Mater omnium hominum vocatur ut Eva ; Mater Isaaci veri, id est, Christi, in quo benedicens omnes gentes, exstitit ut Sara, prudentissima est, ut Abigail : Virgo intemerata, ut Abisag : castissima, ut Susanna : fortissima, ut Judith : pulcherrima et amabilissima, ut Esther : mirabiliter fecunda, ut Rebecca : devotissima, ut Anna : potentissima apud Deum et Christum, ut Betsabea apud Davidem et Salomonem, ut merito illud Salomonis elegium Prov. xxxi. ci applicetur : *Multæ filia congregaverunt divitias, tu supergressa es universas.* Imo non tantum nobis animas sibi proposuisse videtur in creanda hæc anima, hinc S. Bernardus intrepide ausus est dicere in Serm. super missus est : « Vere in plenitudine Sanctorum fuit detentio Virginis Mariæ, cui non defuit fides Patriarcharum, spes Prophetarum, zelus Apostolorum, constantia Martyrum, sobrietas Confessorum, castitas Virginum, fecunditas conjugatorum, sed nec ipsa paritas Angelorum. » Quod ipsum clarius adhuc expressit et confirmavit S. Anselmus in Serm. de concept. Virg. dum ait : « Nihil tibi, o Domina, æquale est, nihil comparabile. Omne enim quod est, aut supra te, aut infra te est. Quod supra te est, solus Deus est. Quod infra te est, omne quod Deus non est. » Quid nullus ? « Ipsa est, inquit S. Bonaventura in sermone B. V. qua majorem facere Deus non potest. Majorem facere mundum potest Deus, majorem matrem quam matrem Dei facere non potest. » Quis ergo non magni æstimet hæc S. Virginem, quam a Deo, a SS. Patribus, ab Ecclesia ipsa tantæ æstimatam videt ut canere de ea non erubescat : « Nec primam similem visa est, nec habere sequentem ? »

Porro super hæc *basin columnæ* statuenda est, per quam *fiduciam firmam et filiale* intelligo erga hæc Sanctissimam Virginem, quæ quidem rotunda, id est, undequaque perfecta esse debet, ita ut suo modo illud S. Jacobi c. I. impleamus : *Si quis vestrum indiget sapientia (aut alia gratia) postulet a Deo (per hæc S. Virginem) qui dat omnibus affluenter. Postulet autem in fide nihil hesitans.* Quod quidem tanto iterum facilius nobis erit, quanto potentius undique ad hæc fiduciam animamur. Nam 1^o animat nos ipse Deus, dum per tam pulchras figuras eandem nobis præfigurare dignatus est, Esther scilicet et Betsabeæ. Quarum prior dixit Assuerus c. vii. ESTH. *Quæ est petitio tua, Esther, ut delur tibi, et quid vis fieri? Etiansi dimidiam partem regni mei petieris, impetrabis.* Posterior vero scilicet Betsabeæ a Salomone Filio audire meruit III. REG. c. n. *Pete Mater mea; neque enim fas est, ut avertam faciem tuam.* Quanto magis autem hoc ipse Deus B. Virgini velut sponsæ suæ dilectionis, et Christi Matri suæ amantissimæ dicent ? animat nos 2^o ipse Christus, dum in cruce omnibus nobis dixit : *Eccæ Mater tua* : quasi diceret : ut filioi in omnibus necessitatibus suis ad gremium matris fugiunt, ita vos idem respectu matris meæ et vestræ facite. Animant nos 3^o SS. Patres, præcipue tamen S. Bernardus, dum ait : « In periculis, in rebus dubiis Mariam cogita, Mariam invoca ; non recedat a corde, non recedat ab ore. » Rationem vero hujus dat alibi, dum ait : « Sinum misericordie suæ Maria omnibus aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristes consolationem, iustus gratiam, Angelus lætitiæ, tota Trinitas gloriam, et denique Persona Filii Dei carnis substantiam. » Animat nos 4^o Ecclesia, dum eandem sanctam Matrem cum pallio extenso nobis representat, ut scilicet moneat nos, quod quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, « ita ipsa nos recipere sit parata. » Hinc et ipsa præit exemplo, et constans usurpat orationem : *Sub tuum præsidium confugimus, Sancta Dei Genitrix, etc.* Animat nos 5^o experientia, qua habemus, nullum unquam fuisse derelictum, qui eam sincere invocavit, ita ut S. Bernardus